



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Et alia opuscula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Scribit Notas
in Euangelia
Missarum per
totum annum.*

illenouum ex earum succo opus condere, idq; latine, quo latius permanaret utilitas. Itaq; aiebat, quod iam vires minimè suppeterent ad concionandum, scriptitare aliquid, quod non nullis concessionatur ad Dei gloriam commodaret. Egregia sanè, versatuque dignissima confecit volumina duo, quorū altero in Euangelicas lectiones, quæ per totum annum Dominicis diebus; altero, quæ sanctorum feriis recitantur, notas seu meditationes explicuit, doctas enim uero ac pias. Et quoniam nihil est diuini verbi meditatione ad propriū cuiusque, & alienum profectum accommodatus, & cum meditatione, itemq; cum prædicacione coniungendæ sunt preces, ut & poscamus à Deo, & poscere populum doceamus, quæ oportet, distinxit in capita ad meditandum per opportuna notas, & subiecit miro pietatis ingenio per appositas cuiq; meditationi, in primisq; notabiles preces. Harum Meditationum alteram partem seculianno primo & nonagesimo edidit, biennioque post alteram: & illam Clero Friburgensi, hanc Senatui dedicauit. Alios præterea duos præclari vsus libellos, Exercitamenta Christianæ pietatis, & Manuale Catholicorum emisit. Ad hæc

*Et alia opus
cuius.*

affi

i



hæc pro more ille suo , quo cultu præcipuo san-
ctos venerabatur iis celebres locis, quibus ipse in-
habitaret, Sanctorum Mauritij, & sociorum The-
bæorum Vitas, quia per ea loca Martyrio coro-
nati, itemq; sanctorum Fridolini, & Nicolai Ere-
mitæ Heluetiorum Germanico sermone conscri-
psit, haud mediocri erga Cælites illos publicæ pi-
etatis accessu. Eadem lingua librum de sacra Cō-
fessione, & communione, & conciones in qua-
tuor sacri Aduentus Dominicas, & in Natalem
Domini vulgauit. Scribebat, & ad notos horta- Et Epistolas ad
Collegia ab ipsa
condita.
torias literas, & interdum communiter ad Colle-
gia præsertim quibus ipse instituendis adfuerat:
illud Apostolorum Principis egregiè tenens. Iu-
stum autem arbitror, quandiu sum in hoc taber-
naculo suscitare vos in commonitione , certus
quod velox est depositio tabernaculi mei. Com-
memorabat beneficentiam eorum, qui Collegia
instituissent ; vtq; erat ipse singulari quadam gra-
ti animi virtute prædictus, hortabatur socios ad
memoriam eorum conseruandam, gratumq; in
eos animum perpetuò demonstrandum : deinde
vt suo munere in custodia disciplinæ, & animis
adiuuantis strenuè fungerentur. Non nullæ ex-

r 2

tant